

INDEX LECTIONUM

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SEMESTRI AESTIVO A. MDCCCLVIII

A DIE XV M. APRILIS

PUBLICAE PRIVATIMQUE HABENDARUM.

QUAESTIONES METRICAS


F. V. FRITZSCHIUS

PRAEMISIT.

LITERIS ADLERIANIS.

De religionibus gentilium non jocosas res, quae eis permultae insunt ut amores Jovis et eidem dii nunc imberbes nunc barbati, verum seria neque injucunda lectu olim scripseram, scripta huic ipsi praefationi partim destinaram: quorum tamen nihil hoc saltem tempore editurus sum. Quas nunc illorum loco metricas quaestiones attuli, eae vobis, Commilitones, aut pellectae etiam proderunt, aut omissae nihil certe poterunt nocere. Omnino haec non solum vobis sed etiam exteris scribuntur: attamen spes est, tales quoque literas non illiteratas etiam vestrum nonnullos cum fructu lecturos esse. Nunc ad rem veniamus.

Polyschematist^{*)} glyconeus a vulgari sive monoschematisto originem duxit, metri genere quum per se facili tum multorum opera pertractato. De quo ea tantum afferre in animo est, quae neque ab aliis recte animadversa videntur, et ad aperiendam polyschematisti notionem plurimum valent. Monoschematistum igitur metrici recte e basi, choriamb^o et iambo compositum volunt,



Quae res non fugit metricos latinos, ut M. Victorinum L. III c. X p. 163 ed. Gaisf., ib. L. IV c. I p. 201 et p. 208, Servium ib. c. IX, 3 p. 375. Alii velut Diomedes L. III c. XXXVII p. 518 choriamb^o et pyrrhichio dactylicum vel potius logaoedicum ordinem substituere, quod eodem redit. Neque vero dubium est, quin Graecorum metrici in eadem sententia fuerint. Nam latini metrici permulta ex Juba hauserunt, Juba ipse ex Heliodoro, sicuti M. Victorinus L. II c. IX, 8 p. 127 diserte testatus est. Cf. etiam Hephaestionem p. 109 ed. I, ubi de metro agit Eupolideo. Ceterum adsentior Weissenbornio (De VV. Glyconicis I p. 32, II p. 12 et p. 23) glyconeum versum e dactylis aeolicis natum esse, ut antiquissima ejus forma incipiens a spondeo dactylica fuerit:


Cf. gravem locum M. Plotii p. 264 sq. Illud eidem Weissenbornio (II p. 24) non adsentior, genera quaedam glyconeorum semper mansisse dactylica. Immo glyconei, ex quo propriam metri formam adsumserunt, dactylis plane exutis in choriambum cum iambo mutati sunt.

^{*)} Numeri versuum in Euripide ac Sophocle ad editionem Dindorfianam poetarum scenicarum (Lipsiae a. 1830), in Aeschilo ad Hermannianam, in Aristophane ad Bekkerianam, in Pindaro ad Boeckhianam alteram (Lipsiae a. 1825) nunc accommodati sunt. Ceterum neque quum haec primum scriberem neque quum retractarem lucem viderant hi libri, quos viris doctis commendatos volo: „Griechische Rhythmi von August Roßbach. Leipzig 1854“ atque partim ejusdem Roßbachi partim R. Westphali liber: „Griechische Metrik. Dritter Theil. Leipzig 1856.“

§ 1.

De origine glyconeï polyschematisti.

Monoschematistum glyconeum Hephaestio p. 56, idem M. Victorinus p. 117, M. Plotius p. 290 quasi antispastum cum diambo ita dimensi



ad antispastica metra retulerunt. Quae ratio a plerisque rejecta, a paucis velut a Gepperto defensa, a nullo recte intellecta est, ut non mirum sit, operam omnes perdidisse. Omnes enim frustra opinati sunt Hephaestionem tanquam metricum haec praecepisse ideoque antispastum suum aliorum metricorum choriambo opposuisse. At metrici Graecorum non minus quam latini illorum pedissequi hunc versum perspexerant non ex antispasto et diambo, sed e basi, choriambo atque iambo constare. Quare novitios antispastos Gepperto non invidemus, qui Horati glyconeos sic legere consuevit,

cervici ju | venis dabat,
si flava excu | titur Chloë

et Asclepiadeos,

quod si me ly | ricis vati | bus inseres,
sublimi fe | riam side | ra vertice.

Contra latinos metricos secutus Weissenbornius (De VV. Glycon. I p. 13 sqq.) vel potius dux Weissenborni ipse Hermannus in El. D. M. Praefat. p. X, ibid. p. 222—225, ib. p. 433 sq., ib. p. 520 metrico antispasto ut par erat exploso in Hephaestionem quasi antispasti auctorem acriter invectus frustra contendit Hephaestionem non in membra sua sed in quaternarum syllabarum pedes male versus divisisse atque mensuram solam curasse, numerum ipsum non curasse. Adeo ne Hermannus quidem usquam sensit, eis metricis, quorum exemplo glyconeum choriambici generis esse vidisset, Hephaestionem nullo modo repugnasse, quippe qui rhythmicorum illo quidem loco rationem non metricorum tradiderit. Ac tametsi Hermannus l. l. Praefat. p. VII non fugit, rhythmorum doctrinam a metris differre et alia de musica cantuque praecepta, alia de solis metris fuisse: tamen Hermanni error Hephaestionem male insectantis tam late patet, ut omnia prope versuum genera quae a basi incipiunt complectatur. Nam latini metrici ad Horatium tantum non omnia referre soliti, cujus carmina legébant plurimi, nemo canebat, plerumque de solis metris disserunt; de rhythmis sicubi agunt, hanc doctrinam addere solent esse musicorum. At Hephaestio quum cantari graecorum lyricorum carmina sciret, metra sic explicare coactus est, ut tamen in lyricis quidem metris etiam rhythmorum doctrinam spectaret. Ut Aristides Quintilianus, qui rhythmica potissimum dedit praecepta, cum iis metricam quoque doctrinam conjunxit: sic Hephaestio metricus rhythmicam artem in lyricis certe metris negligere non potuit. In quo illud unum molestum est, quod quum Hephaestio ipse nunquam definiat, utrum rhythmorum leges an metrorum explicarit, ubique hoc a nobismet ipsis indagari necesse est. Sed in glyconeï antispasto Hephaestionem rhythmos secutum esse neque in ullo versari errore potuisse, primum vel ipsa hujus scriptoris constantia docere debebat. Nam Hephaestio etiam longiores hujus generis versus, qui aut ipsi sunt glyconici ut Phalaeceus, aut ex iis compositi ut Priapeus, aut post basin choriambici ut Asclepiadeus, ad antispastos revocare p. 58—61 non dubitavit. Quos versus metricorum judicio non antispasticos sed basi praemissa choriambicos esse debere, ut

Hermannus in El. D. M. p. 225 et p. 433 recte statuit, ne Hephaestionem quidem latere potuit. Etenim latini metrici graecos ipsos secuti, ut Terentianus Maurus v. 2606—2728 ed. L., ut alibi Marius Victorinus et Plotius, haec ipsa metra choriambica esse satis superque demonstrarunt. Deinde antispastum Hephaestionis e genere esse rhythmico basis argumento est, quae et ipsa generis est rhythmi et e musicorum fonte derivata in poetarum metra fluxit. Quare in basi Hephaestio semel tantummodo metricum se, non rhythmicum praestitit. Nam p. 40—43 aeolicos versus, qui basi praemissa mere dactyli sunt, et ad dactylicam formam retulit, et primum pedem i. e. basin ab ipso metro separavit. Inprimis enim tenendum est, a rhythmicis et basin et anacrusin pro prima ipsius metri ac versus parte habitam atque cum proximo pede arcte conjunctam esse, velut in prosodiaco metro. Quod quum metricis esse debeat dactylicum cum anacrusi iambica hoc modo,

— | — — — —
αὐτὰ δὲ σὺ Καλλιόπια,

tamen ab Hephaestione nunc p. 47 pro anapaestico habetur,

— — — — —
— — — — —
— — — — —

nunc recte quidem p. 84 constare dicitur ex ionico et choriambo in hunc modum,

— — — — —

Quam Hephaestionis doctrinam e rhythmicorum fontibus manasse clare ostendit Aristides Quintilianus I p. 39, qui de eodem metro haec praeceperit: οἱ δὲ (sc. προσοδιακοὶ) δύο συζυγίων βακχείου (h. e. choriambi) τε καὶ ἰωνικοῦ τοῦ ἀπὸ μείζονος. Et haec quidem in dissertatione de Numero Κατ' Ἑνόπλιον p. 7 (infra) tetigi. Nunc ea quoque conferantur, quae de simillimis rhythmis postea (§ 16 init.) dicentur. Praeterea cum Hephaestione p. 56 antispasti auctore etiam „Juba atque alii Graecorum opinionem secuti“ apud M. Victorinum L. II c. VII, I p. 118 sqq. consentiunt. Ambo enim et l. l. Hephaestio et ex Juba Victorinus de metro agunt antispastico, ambo huc referunt primo dochmiacum, deinde Pherecrateum et Glyconeum, tum Priapeum, qui a Victorino ἀσυνάρτητος dicitur: ut Jubae et Hephaestionis locos geminos esse pateat ac simillimos. Denique, id quod gravissimum est, aut ego mire fallor, aut Hephaestionis antispastus rhythmicorum ipsorum musicorumque auctoritate munitus est. Nam ut Hephaestio atque Juba ll. ll. et dochmiacum et glyconicum versum ob commune antispasti initium ad genus commune revocarunt: ita ipse Aristides Quintilianus p. 39 duo genera dochmiaca, alterum ex iambo et paeone h. e. vere dochmiacum, alterum ex iambo, dactylo et paeone i. e. glyconicum hac ipsa de causa constituisse videtur, quod glyconeum non minus quam dochmium ab antispasto ordiri voluisset. Tum latini metrici versum quendam a musicis bacchiacum dici recte illi quidem observant, sed hunc versum auctoribus suis parum intellectis non semper bene definiunt. Aperte falsum est, quod M. Vic-

torinus III, 16, 5 p. 185 bacchiacum choriambo et iambica basi i. e. hac forma, — — — — — comprehendit. Paullo melius Atilius Fortunatianus I, 9, 10 p. 327 bacchiacum versum esse vult Asclepiadeum. Prorsus recte de glyconeo monoschematisto, quod metrum etiam Terentianus Maurus v. 2608 a nonnullis Bacchiacum vocari docet, haec traduntur a Victorino IV, 1, 63 p. 205 sive ab eodem Fortunatiano I, 4, 4 p. 316: „Quod est metrum, ut grammatici, choriambicum, ut musici bacchiacum.“ Sed quum bacchii nomine et antispastus (βακχείος κατὰ ἴαμβον) et choriambus (βακχείος κατὰ τροχαῖον) a musicis appellatus sit, ut e schol. ad Hephaest. p. 160, Aristide Q. I p. 37 aliisque patet: porro quaeritur, ultra bacchii signi-

et trinae trinorum. Jam glyconeum polyschematistum Hermannus in El. D. M. p. 525 sive in Epitome p. 191 et p. 198 ed. II e tribus pedibus hoc modo


compositum esse voluit. Contra Gaisfordus ad Hephaest. p. 355: „Glyconeus Polyschematistus, inquit, ex Antispasto varie formato componitur et Choriambos.“ Qui e duobus tantum non tribus pedibus hunc versum constare recte judicavit. Primariam enim formam hanc potius fuisse,

atque secundum pedem cum primo sive cum basi in unum coaluisse dilucide ostendi potest. Itaque de polyschematistorum basi non seorsim disputandum est, sed una opera et de hac basi et de proximo pede, qui perpetuo cohaerent. Qua ratione το δωδεκαμῆχανον partim effectum est. Etenim sola basis longe pauciores mutationes subire potest, quam eadem basis cum proximo pede in unum conflata. Profecto autem dimetrum hunc versum esse apparet. Primum enim in tanto polyschematistorum numero omnes ut dimetri ad aures accidunt, neque ullus est, qui legi quasi trimeter recte possit, ut taceam, quod in tam minuto versu tria πῶλα ne per se quidem ferenda sunt. Deinde Eupolideum versum, cujus prius πῶλον ipse glyconeus polyschematistus est, non magis vere Hermannus in El. D. M. p. 578 et idem Gaisfordus ad Hephaest. p. 358 e senis pedibus constare opinati sunt. Immo Eupolideum a vetustis metricis recte pro tetrametro habitum esse ex eo elucet, quod in parabasi, in qua sola exstat Eupolideus, nulli unquam versuum generi locus fuit nisi tetrametrorum. Adeo ut Eupolideus versus tetrameter est, ita glyconeum nostrum dimetrum esse apparet. Optime igitur et Hephaestio p. 106 cl. p. 56 polyschematistum non minus quam vulgare glyconeum δίμετρον ἀκατάληκτον appellavit et schol. metricus ad Eurip. Orest. v. 819—831 de versu 840 agens eundem similiter dixit ἐπιχοριαμβικὸν δίμετρον ἀκατάληκτον. Enimvero priorem pedem rhythmici magis esse generis quam metrici quum ex ipsa basi sequitur, tum ex ingenti formarum varietate, quarum alia ab alius metro abhorret. Frequentissimus utique dispondeus est, usitatus tamen etiam antispastus. Quo nomine quum hic pes ab ipsis Graecis appellatus esse videatur, antispastum dicere malui quam dispondeum: nec magni refert, cujus metri nomine ejusmodi pedem designari placeat, qui natura sua magis sit rhythmicus.


§ 3.

De formis antispasti metricis.


Metricas formas eas dico, quae quum rhythmico convenient, tum ne a metro quidem prorsus alienae sunt; contra rhythmicas eas, quae solo rhythmico innixae metri legibus adhuc notis repugnant. Quanquam in priore antispasti parte etiam metricis formis licentia datur a basi ac rhythmico non a metro repetenda. Finge enim polyschematisti nostri has formas,




ab initio ut mere rhythmicae formae absunt pyrrhichii, dactyli, anapaesti, ita cum iambi metro trochaeus conciliari nequit. Verum in altera antispasti parte caeterae formae praeter spon-diacam et trochaicam pro rhythmicis habendae sunt. Omnes tamen formas quas supra posui metricas esse nominandas duxi propter versum Eupolideum. Hujus comma prius, qui ipse glyconeus est polyschematistus, his ipsis formis iisque solis censetur,




Atqui Eupolideus versus quum non cantu variatus sit, sed voce recitatus, consentaneum est, paucas hasce Eupolidei commatis formas omnes esse metricas, caeteras vero tantum rhythmicas. Nam glyconeis Euripideis accedente tibiarum aut fidium cantu major utique licentia concessa est. Sed ut singulas formas persequar, una omnium frequentissima est dispondei,




item frequens spondiaca haec,




cujus exempla exstant minimum triginta. Et harum quidem alteri altera in antistropho saepe respondet,




velut in Eurip. Cycl. 47 = 61, Bacch. 867 = 887, ibid. v. 872 = 892, Electr. 432 = 442, ibid. v. 434 = 444, ibid. v. 729 = 739, Helen. 1315 = 1333, ibid. v. 1317 = 1336, ubi Hermannus hanc responsionem male expulit, ibid. v. 1481 = 1499, Iphig. Aul. 550 = 565. Quum in monoschematisto secundum spondiacam basin trochaica sit creberrima, mirum est eandem in polyschematisto esse rariorem: quae ubi exstat, epitrito ut in doricis numeris saepius continetur quam ditrochaeo. Inveni autem primum formam spondiacae simillimam




cujus exempla dedit Gaisfordus ad Hephaest. p. 356. Et ab hac quidem glyconei forma distinguendum est metrum specie idem, re prorsus diversum idque in doricis strophis usitatum, in quibus ex epitrito et ordine dactylico constat, — — — — —. Sed glyconei praeterea has formas inveni,




in Eur. Electr. 433 = 443, deinde hanc,




in Herc. F. 790 = 807, ibid. v. 792 = 809, Electr. 703 = 717, Iphig. T. 1131 = 1146, tum hanc,



in Iphig. Aul. 554 = 569, postremo formam ditrochaei,



in Sophocl. Antig. 107 = 124, Eur. Electr. 163 et ex Hermannii conjectura in Suppl. 1023. Longe usitatiores trochaicis formis sunt antispasticae, quarum eas primum afferam, quae similes sunt spondiacis,



in Ione 452 = 472, ibid. v. 455 = 475, ibid. v. 465 = 485, ibid. v. 467 = 487, Suppl. 977, v. 978, v. 979, ibid. v. 997 = 1020, Iphig. Taur. 424 = 441, ibid. v. 1096, Iphig. Aul. 547 = 562, tum longe simillimam

in Eur. Electr. 180 = 202, Helen. 1313 = 1331, Suppl. 1001 = 1024, deinde hanc

in Eur. Electr. 178 = 200, Helen. 1306 = 1324, Ione 459 = 479, praeterea hanc

in Eur. Electr. 438 = 448, Iphig. T. 427 = 444, ibid. v. 1128 = 1143. Minus crebra forma est mere antispastica

in Hecuba 632 = 641, Ione v. 496, Iphig. T. 1097, Iphig. Aul. 206. Venio ad solutiones: cujusmodi formae modo e trochaeis, ut in Iphig. Aul. 554 = 569 solutae sunt, modo ex antispastis hoc modo

in Iphig. T. 1130 = 1145 et ex mea conjectura in Supplic. 998 = 1021, interdum etiam sic,

in Ione 117 = 133. E solutis formis duae frequentantur, altera

in Phoeniss. 210, Bacch. 864 = 884, Orest. 810 = 822, ibid. v. 815 = 826, ibid. v. 832, ibid. v. 837, Ione 486, ibid. v. 495; partim e conjectura in Supplic. 1005 = 1028; e codice in Iphig. T. 1109, in Iphig. Aul. 182 = 203, ibid. v. 551 = 566, ibid. v. 797; e conjectura ibid. v. 1081, altera autem

in Oreste 807 = 819, ib. v. 809 = 821, Helen. 1304 = 1322, ib. v. 1305 = 1323, Iphig. Aul. 216, ib. v. 552 = 567, quae interdum sibi invicem respondent

ut in Oreste 808 = 820, ibid. 813 = 824, Iphig. Aul. 549 = 564, ibid. v. 553 = 568. Denique quod ad Pindarum attinet, ubique mere metrica antispasti forma est in hoc glyconeo

Olymp. IX stroph. v. 6 ed. Boeckh., item in his,

et Nem. IV stroph. v. 5 et v. 6, postremo in hac

Nem. VI stroph. v. 2, Isthm. VIII v. 3 et v. 4.

(Continuabitur.)

INDEX LECTIONUM.

In ordine theologico.

- D. Gustavus Fridericus Wiggers, P. P. O., Academiae Senior, h. t. Decanus, privatim 1) encyclopaediam et methodologiam theologicam quinque diebus tradet h. VIII; 2) dogmatum historiam senis diebus enarrabit h. IX. Publice paedagogicam, scholarum popularium Mecklenburgicarum ratione habita, praecipiet binis diebus h. XII. In Seminarii sodalitate catecheticas sodalium exercitationes horis constitutis moderari perget.**
- D. Otto Carsten Krabbe, P. P. O., 1) privatim quinque dd. h. IX historiae ecclesiasticae partem primam enarrabit; 2) privatim quinque dd. h. X theologiam moralem docebit; 3) publice in Seminarii sodalitate homileticas sodalium exercitationes die Saturni h. IX et X moderabitur.**
- D. Fridericus Adolphus Philippi, P. P. O., privatim 1) Prophetas minores explicabit quinque h. XI; 2) epistolas Pauli minores interpretabitur quinque h. XII; 3) Symbolicam tradet quater h. III; 4) publice exercitationes exegeticas moderabitur horis binis.**

In ordine juridico.

- D. Fridericus Raspe, P. P. O., tradet principia processus judiciarii civilis, duce Linde, quater h. X et sexies h. XI.**
- D. Otto Mejer, P. P. O., h. t. Decanus, jus ecclesiasticum commune et Mecklenburgicum docebit quinque per hebdomadam h. XII, jus criminum commune quinque h. XI.**
- D. Georgius Guilielmus Wetzell, P. P. O., 1) ordinem judiciorum privatorum senis scholis h. XI, et 2) institutiones juris romani sexies h. XII profitebitur.**
- D. Hermannus Augustus Schwanert, P. P. O., tradet Pandectas quotidie h. VIII—X, doctrinam juris Romani de hereditatibus quinque per hebdomadam scholis h. XII—I.**

D. Victor de Meibom, P. P. O. Des., 1) Jus germanicum privatum quinquies, 2) Jus mercatorium et cambiale quinquies per hebdomadem hora adhuc definienda tradet.

D. Theophilus Henr. Fr. Gaedcke, 1) encyclopaediam juris h. c. profitebitur; 2) processum judicarium civilem quum communem tum Megapolitanum h. c. duce Martino docebit; 3) scholam civilem eamque practicam h. c. moderabitur; 4) privatissime repetitoria et examinatoria comilitonibus offert.

In ordine medico.

D. Henricus Spitta, P. P. O., h. t. Decanus, commodis horis docebit: 1) pathologiam et therapiam specialem et 2) medicinam forensem in usum medicorum et jurisconsultorum tradet.

D. Carolus Stempel, P. P. O., docebit: 1) quater p. h. chirurgiae partem primam cum demonstrationibus et operationibus in cadaveribus conjunctam; 2) exercitationes practicas in clinico chirurgico hor. X et dim. ad XII^{am} solito more moderari perget.

D. Hermannus Stannius, P. P. O., docebit: 1) physiologiam sexies p. h.; 2) pathologiam generalem horis ternis; 3) encyclopaediam et methodologiam horis binis p. h.

D. Carolus Bergmann, P. P. O., 1) anatomes partem alteram; 2) historiam ovi hominis et animalium vertebratorum tradet; 3) exercitationes anatomicas assistente Gronau Prosectore dirigere perget.

D. Gustavus Veit, P. P. O., 1) artem obstetriciam quater p. h. horis adhuc definiendis docebit; 2) de morbis mulierum binis horis disseret; 3) exercitationes practicas in Clinico obstetricio quotidie h. VIII moderabitur.

D. Theodorus Thierfelder, P. P. O., 1) anatomen pathologicam specialem ternis diebus docebit; 2) exercitationes practicas in Clinico medico senis diebus h. IX moderabitur.

D. Joannes Schroeder tradet: 1) pathologiam et therapiam generalem; 2) medicinam forensem; 3) pathologiam et therapiam morborum psychi-corum. Examinatoria et repetitoria de quavis artis medicae parte cupientibus offert.

D. Theodorus Ackermann tradet: 1) Urologiam s. doctrinam de natura urinae in corpore sano et aegroto binis horis; 2) demonstrationes pharmacognosticas binis horis; 3) artem formulas medicas concinnandi semel per hebdom.

In ordine philosophico.

- D. Franciscus Volcmarus Fritzsche, P. P. O.,** privatim 1) quaternis diebus h. XI Aristophanis *Nubes* explicabit; 2) binis diebus h. XI Lucreti de rerum natura librum primum et secundum interpretabitur. Denique exercitationes Seminarii philologici moderari perget, in quo Aeschyli *Agamemnon* et *Epistolae* Horati pertractabuntur.
- D. Johannes Roeper, P. P. O.,** 1) publice docebit elementa anatomes plantarum die Saturni h. X—XII; 2) privatim botanice generalem exponet demonstrationibus et exercitationibus illustrandam senis diebus h. VII; 3) de herbis in pratis et sylvis nascentibus disseret diebus Mercurii et Jovis h. XI; 4) itinera botanica instituet die Saturni horis pomeridianis.
- D. Eduardus Danielus Henricus Becker, P. P. O., h. t. Decanus,** 1) senis diebus h. III agros metiendi formasque delineandi doctrinam, adjunctis exercitationibus practicis tradet; 2) culturam plantarum agrestium, demonstrationibus illustrandam, quater p. h. docebit h. X.
- D. Ludovicus Bachmann, P. P. O.,** privatim 1) ter per hebdom. Euripidis *Helenam* interpretabitur; 2) ter per hebdom. Propertii carmina explicabit. Privatissime quater per hebdom. Antiquitatum Graecarum selecta capita pertractabit.
- D. Hermannus Karsten, P. P. O.,** docebit 1) publice astronomiam popularem, bis p. h.; 2) privatim geometriam analyticam, quater p. h.; 3) privatim physicen experimentalem una cum collega amicissimo Schulze, octies p. h. Privatissima proponit collegia de qualibet matheseos vel physices parte.
- D. Franciscus Schulze, P. P. O., h. t. Rector,** 1) Chemiam experimentalem tradet quotidie h. X—XI; 2) physicam experimentalem docebit una cum collega conjunctissimo Karsten, horis definiendis; 3) exercitationes chemicas moderabitur diebus Martis et Veneris h. II—VI. 4) Privatissime agronomiam docebit et exercitationes agronomicas moderabitur.
- D. Erwinus Nasse, P. P. O.,** 1) de redditibus et exitibus publicis agat quinquies h. IX; 2) statisticam oeconomiam docebit quinis diebus h. XII.
- D. Reinholdus Pauli, P. P. O.,** privatim 1) quinquies historiam Magnae Britanniae h. VIII; 2) quinquies medii quod vocatur aevi historiam narrabit h. X.
- D. Carolus Bartsch, P. P. O. Des.,** 1) publice carmina Waltheri, qui dicitur „von der Vogelweide“, secundum Lachmanni editionem singulis p. h. horis explicabit; privatim 2) linguae provincialis locos ex *enchiridio* C. Bartschi (*Elberfeldae* a. 1855) sumptos addito grammaticae provincialis brevi conspectu trinis horis exponet; 3) literarum germanicarum historiae priorem partem trinis horis persequetur; 4) anglicam grammaticam tractabit itemque *Julium Caesarem* Shakespeari trinis scholis interpretabitur.

- D. Fridericus Francke, P. P. E.,** 1) publice anthropologiam psychicam praecipiet quaternis p. h. dd.; 2) publice philosophiam Kantii et Friesii describet et dijudicabit ter p. h. Privatum 3) lineamenta historiae philosophiae designabit quinis p. h. dd.; 4) metaphysicam docebit, senis p. h. dd.
- D. Georgius Nicolaus Busch, P. P. E.,** privatim 1) Taciti Annales interpretabitur quaternis diebus h. III—IV; 2) metra Graecorum atque Romanorum illustrabit quaternis diebus h. IV—V; 3) de particulis Graecis disseret binis diebus h. III—IV. Praeterea exercitationes societatis philologicae privatae moderari perget.
- D. Eduardus Schmidt, P. P. E.,** docebit 1) publice introductionem philosophicam in theologiam dogmaticam bis p. h. h. III—IV; 2) privatim philosophiam historiae generis humani, imprimis novissimae, quater p. h. h. IV—V; 3) privatim encyclopaediam disciplinarum philosophicarum, praemissa introductione universali in philosophiam, quinquies p. h. h. V—VI.
- D. Carolus Weinholtz** privatim: 1) organo-idealismi principia et fines, comparatis doctrinis philosophorum novissimorum; 2) philosophiae practicae elementa, ex systemate suo, docebit.
- D. Julius Robert** 1) privatim quater p. h. de lingua Gallica scholas practicas habebit; publice 2) bis p. h. de Montesquieo disseret; 3) bis p. h. exercitationes in eorum usum moderabitur, qui linguam Gallicam docuri sunt.
- D. Ferdinandus de Røda** in Seminarii sodalitia publice cantum liturgicum docebit. Praeterea exercitationes chori symphoniaci a commilitonibus instituti moderari perget.

Bibliotheca extra ferias patebit quaternis diebus h. XII—I, festo et solis die exceptis, tum etiam quolibet Mercurii et Saturni die h. XI—I, **Museum** autem die Lunae h. II—IV commilitonibus nostris aliisque aperietur. Peregrinas linguas ut Anglicam discendi occasio data est. Sunt etiam magistri publice constituti, qui alias quasdam artes liberales profiteantur.

Summo academiae magistratu hoc tempore fungitur

Franciscus Schulze, Ph. D.

Praesidet ordini Theologorum **Gustavus Wiggers, Th. D.**

Juris consultorum **Otto Mejer, J. U. D.**

Medicorum **Henricus Splitta, M. D.**

Philosophorum **Eduardus Becker, Ph. D.**